

*evadi periculum potest: aut non certum satis est aliter evadi non posse. Plerumque enim interposita temporis mora ad multa remedia, ad multos etiam casus patet: ut dici solet inter os & offam.* Et quamvis falsum contra me dicturus testimonium in eò jam sit, ut judicem adeat; illa tamen aditio occisionis haud operabitur licentiam. Probari quippe post interfectionem illius falsitas testimonii si possit, iudicio potius cum eò agendum, & mendacium ipsà refellendum convictione. Deficiens verò in probando ultrò vitæ & famæ periculum per occisionem sibi accersit.

XVI. Remota igitur firmioribus rationum monumentis sententia actualem præcisè requirens percussorem. Hæc equidem si præcesserit, multò magis licitæ via aperienda defensionis. Imminens proximè actuali si justè repellatur defensione, quantò magis vis jam illata vi propulsari poterit? Durante enim offensione perdurat defensio. Neque tamen certi vis illatæ propulsationis limites præscribi poterunt invaso rigorosè. Scrupulus nulli non suboriri posset, *si leviori vulnere aggressorem invasus reprimere posset, an nihilominus eum occidere possit?* Suppetentibus fortè duobus mediis ad eundem finem tendentibus illud eligendum, quod utrique tutius. Vulneris autem inflictio tutior omninò & offendenti & offenso ipsa occisione videtur iudicanda. Conduceret hæc rigorosa electio ad evitandam homicidiorum frequentiam. Custodiret insuper magisque illæsam servaret defendentis conscientiam. At verò iusta & omnium iurium consensu concessa invasi præventio eam haud admissura præscriptionem. Non reddit aggressor invasum certiozem, quousque offendendò progredi velit. Potest ideò mortis facillè exponi periculo patiens ulteriorem aggressum. Quin itaque defensa superius præventio concedenda invaso, nullus dubitaverim. Metuendum quippe offenso, nè vulneris tantum illatione adversarium reprimere intendens prævertatur ab offendente. Sed insignis defensionis favor concedit offenso occisionem aggressoris, ut ad finis propositi assecutio-